

Preface (H)

4r

5 Canones generalium conciliorum a temporibus Constantini coeperunt. In
precedentibus namque annis persecutione fervente, docendarum plebium minime
dabatur facultas. Deinde Christianitas in diversas hereses scissa est, quia non erat
licentia episcopis in unum convenire, nisi tempore supradicti imperatoris. Ipse
enim dedit facultatem Christianis libere congregari. Sub hoc etiam sancti patres,
in concilio Niceno de omni orbe terrarum convenientes, iuxta fidem evangelicam
et apostolicam secundum post apostolos symbolum tradiderunt. Quattuor autem
10 principalia esse concilia ex quibus plenissimam fidei doctrinam tenent ecclesiae,
tam de patris et filii et spiritus sancti divinitate, quam predicti filii et salvatoris
nostri incarnatione:

15 Prior harum Nicena synodus est trecentorum decem et octo episcoporum sub
Constantino augusto imperante peracta, in quo Arriane perfidiae blasphemia
condempnata, qua inaequalitatem sanctae trinitatis idem Arrius asserebat,
consubstantialem deo patri dei filium, idem sancta synodus per symbolum
definivit.

20 Secunda synodus est CL patrum sub Theodosio seniore Constantinopolim
congregata, quae Macedonium sanctum spiritum deum esse negantem
condempnans, consubstantialem patri et filio eundem paraclytum demonstravit,
dans latius symboli formam, quam tota Grecia et Latinitas in ecclesiis predicat.

25 Tercia synodus est Ephesiana prima ducentorum episcoporum sub iuniore
Theodosio augusto edita, quae Nestorium duas personas in Christo asserentem
iusto anathemate condempnavit, ostendens manere in duabus naturis unam
domini nostri Ihesu Christi personam.

4v

30 Quarta est synodus Calcidonensis sexcentorum triginta sacerdotum sub
Martiano principe habita, in qua Euticen Constantinopolitanum abbatem verbi dei
et carnis unam naturam pronuntiantem et eius defensorem Dioscorum quondam
Alexandrinum episcopum et ipsum rursus Nestorium cum reliquis hereticis, una
patrum sententia praedamnavit, praedicans eadem synodus Christum deum sic
natum de virgine, ut in eo substantiam et divinae et humanae confiteamur naturae.

35 Haec sunt ut praediximus quattuor principales et venerabiles synodi fidem
catholicam complentes. Sed et si qua sunt concilia quae sancti patres spiritu dei
pleni sanxerunt, post istorum quattuor auctoritatem omni manent stabilita vigore,
quorum etiam gesta in hoc opere condita continentur.

40 In principio autem huius voluminis Nicenam synodum constituimus propter
auctoritatem eiusdem magni concilii, deinceps diversorum conciliorum Grecorum
ac Latinorum, sive quae antea, seu quae postmodum facta sunt, sub ordine
numerorum ac temporum capitulis suis distincta, sub huius voluminis aspectu
locavimus, subicientes etiam decreta praesulum Romanorum, in quibus pro
culmine sedis apostolicae non inpar conciliorum extat auctoritas, quatenus
ecclesiastici ordinis disciplina in unum a nobis coacta atque digesta, et sancti
praesules paternis instituantur regulis, et obedientes ecclesiae ministri vel populi
spiritualibus imbuantur exemplis.

45 Canones autem qui dicuntur apostolorum, seu quia eosdem nec sedes
apostolica recipit nec sancti patres illis consensum prebuerunt, pro eo quod ab
hereticis sub nomine apostolorum composita dinoscuntur; quamvis in eis quaedam

inveniantur utilia, auctoritate tamen canonica atque apostolica eorum gesta constat esse remota et inter apofrica deputata.

Canon autem Grece, Latine regula nuncupatur, regula autem dicta quod recto ducit nec aliquando aliorsum trahit. Alii dixerunt regulam dictam vel quod regat vel quod normam recte vivendi praebeat, sive quod distortum pravumque quid corrigat. Synodum autem ex Greco interpretari, comitatum vel coetum. Concilium vero nomen tractum ex communi intentione, eo quod in unum dirigant omnes mentis obtutum. Cilia enim oculorum sunt, nde et qui sibimet dissentiant non agunt concilium, quia non sentiunt unum. Coetus vero conventus est vel congregatio a coeundo, id est conveniendo, in unum. Unde et conventus est nuncupatus quod ibi omnes conveniunt, sicut conventus, coetus vel concilium, a societate multorum in unum.

EXPLICIT PRAEFATIO.